



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Legatis, De Successionibus Ab Intestato, De Renvnciationibus

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XXIX. Romana hæreditatis de Armannis. De exclusionem matris à successione filii pupilli, eo quia non curavit infrà annum illi provideri de tutore: Et an detur in hac materia purgatio moræ; et de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74076](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74076)

potius ad factum, quam ad ius, idcirco reflectendum esset, an facti circumstantiæ dictam præsumptam voluntatem tollere possent, atque contrariam suadere; Ut scilicet patris voluntas, obtinendo legitimationem, ad id directa fuerit, ut tollendo legis obstaculum, filios haberet successores, ut est nimirum probabile, cum etiam per eos dicta macula abluta, agnatio, & familia conseruetur, ubi potissimum legitima proles desit, ut comprobatur frequens Italiae usus notorius, probando scilicet quod pater, sequuta legitimatione, notabiliter immutasset tractatus cum filiis, eos publicando suos, ac retinendo, domi ad mensam, eosque tractando in vestitu, famulatu, ac aliis eo modo, quo veri legitimi tractari solent, diversimodè à bastardis, pro communi usu, atque procurando ut conuersarentur inter nobiles, vel civiles ejus spheræ, aliaque peragerent, legitimis, non autem naturalibus congrua, pro facti qualitate, ac regionis more; Potissimum verò ex discretivo modo ab eodem patre tentato ante, & post legitimationem respectivè; Multò verò magis ubi cum amicis animum habendi dictos filios in successores explicasset, seu alia gefisset hanc voluntatem probantia, vel admiculantia.

Ista etenim legitimatio, quamvis ita qualificata, ex veriori, magisque recepta sententia, est verè talis, non autem simplex dispensatio ut supra; Clausula verò prædicta ex Constitutione Pii IV. potius adjici solita, principaliter operativa est in iis, quæ dependent à voluntate alterius, quam ipsius patris, qui filios legitimare voluit; Puta pro successione in fideicommissis majorum, vel feudo, seu emphyteusi pacti, & providentiæ, cum similibus; Et nihilominus etiam in istis, quoties voluntas fideicommittentis, vel primi acquirentis non resistat, sed assistat, dicta clausula operativa non est, neque obstaculum præbet, ut advertitur pluries *sub tit. de fideicommissis præsertim disc. 68.*; Undè propterea isto casu, tam in patre, quam in ipso legitimante, qui sit Principe inferior, dictamque facultatem italicam habeat, concurrere videtur etiam defæctus potestatis.

In bonis autem liberis, atque ad liberam ipsius patris dispositionem, de alio non queritur, nisi de ejus voluntate, qua accedente ista clausula nullius operationis est; Adeo ut dicta voluntate assistente, legitima, quæ legitimatis relinquatur, consueta privilegia obtineat eodem modo quo illa legitimorum, ut advertitur *sub tit. de legit. & detraht. disc. 42.*; Atque in summa, aliud isto casu non operatur nisi quod præservet patrem ab ea necessitate, qua de jure præmitur relinquendi filiis legitimis legitimam liberam, cum honorabili titulo institutionis, ut scilicet ad id invitus cogi non possit; Sed ejus voluntate assistente, nil differre videntur isti legitimati à legitimis; Et consequenter congruere videntur ea, quæ habentur *sub tit. de testamen. disc. 26. 27. & 75.* in materia testamenti patris inter filios, quod sufficiat sola probatio naturalis, & non requiratur solemnitas.

Potissimè verò quia, ut plurimum præsertim personæ idiotæ, sive sint nobiles, sive populares, hujusmodi legalium subtilitatum ignaræ, ad hujusmodi qualitates, & clausulas advertere non solent; Quinimò ut sæpissimè ego expertus sum neque legere, vel audire curant quid in privilegio legitimatiōis contineatur, sive an à Papa, vel ab Archiepis, aut ab alio Magistratu inferiori obtineatur, quoniam cogitatur solum ad substantiam faciendū actum legitimatiōis; Atque ubi obtinetur *Eny. de Luca P. 2. de Success.*

Curia Romana privilegium in charta pergamentina, non distinguitur in partibus, an illud sit Papæ, vel alterius inferioris, sed quotquot vident hujusmodi chartas à Romana Curia venientes, reputant bullas, & Brevia Papalia etiam simplicia monitoria A.C., quæ Brevia vulgò dicuntur, ac reputantur; Quinimò non desunt Rabolæ forenses, qui istam eorum correspondentiam simpliciter confirmant, & fovent, magnas pecuniarum summas ita extorquendo, seu verius furto, ac rapinam committendo, ex eo quod essent Brevia, vel Bullæ Apostolicæ, ut infinuatur *sub tit. de judicij* in relatione, & praxi Curie.

Hinc proinde, ratio superius ponderata, quod quando pater non curat obtinere legitimationem puram, sed obtinet ita qualificatam, ita ejus voluntatem explicare dicitur, non præjudicandi venientibus ab intestato, quodque ita decedendo, censetur condere testamentum eo modo quo lex communis, vel municipalis illud ordinavit, est vera in abstracto, sed punctus est in concreto, seu in applicatione, quoniam rectè procedit quando constat quod pater ita sciens, & volens hac speciem legitimationis potius, quam alteram obtinere studuit, sive quod ea directè, ac principaliter per eum obtenta non sit, sed obtenta per ipsos filios naturales, vel alios eorum conjunctos, qui studiosè patris simplicem consensum obtinissent, absque eo quod ipse verisimiliter cogitasset ad effectus exinde resultantes; Vel quia habens filios legitimos, & naturales, constat hanc legitimationem obtinuisse ad alios effectus, reddendi scilicet eos capaces illorum munerum, & officiorum, quorum alias essent incapaces, & cum quibus prudens pater ipsos providere posset, retenta de facto inferiori qualitate filiorum naturalium discretorum à verè legitimis; Secus autem ubi prolem legitimam non habens, obtenta legitimatione continente hujusmodi restrictiones, potius ex stylo legitimantis, quam ex ejus voluntate, illos legitimos declaraverit, ac tractaverit, atque ab aliis recognosci; & tractari curaverit, decedente verò intestato potius à casu, quam electione proveniret; Et in summa ista est quæstio facti ex istius qualitate, & circumstantiis decidenda, non autem cum regulis, & doctrinis generalibus juxta consuetam pragmaticorum inceptam; Super his autem circumstantiis, an illæ assisterent, nec ne, judicium dari non potuit, cum consilium ita super quæstione in abstracto suppressis nominibus petum fuerit.

ROMANA
HEREDITATIS
DE ARMANNIS
PRO
ANNA,
CUM
JOACHINO, JO: BAPTISTA, ET
ALIIS DE ARMANNIS.

Causa disputata coram Prelato, credo; resolutus pro Anna.

De exclusionem matris à successione filii pupilli, eo quia non curavit infra annum illi provideri de tutore; Et an detur

in hac materia purgatio moræ; Et de eiusdem matris exclusione ob transitum ad secunda vota, non redditus prius rationibus tutelæ, per eam administratæ, quando, & quomodo id procedat.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 Quando mater privetur successione filij ob non petitum tutorem.
- 3 De eadem privatione ob non redditas rationes.
- 4 Datur purgatio moræ super obligatione, & pena, de qua num. 2.
- 5 De conclusione, de qua num. 3.
- 6 Pena secundo nubentium sunt abrogata prater favorem filiorum.
- 7 An filij religiosi in hoc proposito considerentur.
- 8 De eadem conclusione, de qua num. 6.
- 9 Quod purgatio, de qua num. 4. non procedat de iure civili.
- 10 Contrarium verius.
- 11 Quando ius canonicum admittatur etiam in terris Imperij.
- 12 De adimplimento post terminum, an sufficiat.
- 13 Quod pena, de quibus num. 2. & 3. procedant etiam favore extraneorum.
- 14 Declaratur, & de differentia inter unum, & alterum casum.

DISCURSUS. XXIX.

DE functo Ioanne Baptista Lupo Annæ viro, superstiti Veronice unica filia pupilla, Anna mater, nullum actum iudicalem gerendo circa tutelæ acceptance, illam de facto per annum, & menses exercuit, tam circa pupillæ educationem, quam bonorum administrationem, deindeque formiter eandem tutelam in iudicio acceptavit, adimplendo solemnitates cum interventu, & consensu Ioachini, & Ioannis Baptistæ eius fratrum; Volensque postmodum ad secunda vota convolare, curavit eidem pupillæ de tutore provideri, rationes etiam suæ administrationis exhibendo, quamvis ob aliqua impedimenta, priusquam secunda nuptiæ sequerentur dicta reditio non omnino completa esset; In hoc autem statu sequuta morte dictæ Veronicæ in eadem pupillari ætate; Cum Anna tanquam mater hæreditatem pereret, se opposuerunt præfati Ioachinus, & Ioannes Baptista pupillæ avunculi, quibus aliis tanquam proximioribus matre de medio sublata, dicta intestata successio debita esset, prætendendo illam excludere ex duplici capite.

Primo ex quo infra annum non curaverit pupillæ de tutore provideri, unde propterea ipsius successione privatur, quatenus tamen illa in eadem ætate decedat, secus si post illam completam, quando cessari potest ad text. in l. 2. §. si mater ff. ad Tertull. §. penult. Insti. eod. DD. communiter, de quibus Cancr. par. 1. var. cap. 7. de tutelis nu. 33. ubi de ampliatione, etiamsi de facto interim ipsamet mater administrasset, quia non per hoc pupillæ consultum dicitur Gurtier. de tutelis par. 1. cap. 16. & per alios, de quibus infra.

Et secundo ob transitum ad secunda vota non redditus prius rationibus tutelæ per eam triennio circiter administrare ad text. in l. omnem Cod. ad Tertull. Aut eisdem Cod. de secundis nuptijs, & in corpore unde sumitur; Unde introducitur causa coram Vicario, seu Prælo de putato.

Scribens pro Anna (cum sensu etiam veritate) improbabilem dicebam huiusmodi præventionem; Quatenus enim pertinet ad primam exclusionis causam, ob neglectam tutoris petitionem, Cum post tres vel quatuor menses anni decursi eadem Anna re integra tutelam acceptaverit, omniaque que mora per eam desuper contracta, purgata remansit, & que moræ purgatio (quæquid destricto rigore iuris civilis in contrarium dixerint Salicet. in l. sciant num. 7. & 8. Cod. de legitimis tutoribus, & ceteri per Cancr. disto. cap. 7. num. 16. Montan. de tutelis cap. 18. num. 22. Merendat. rrov. jur. lib. 24. cap. 4. n. 17.) Verius etiam de canonica æquitate intret ut per Alex. & Bar. in d. l. sciant, & ceteri per Gabr. de tutelis concl. 1. num. 22. Gurtier. de tutelis par. 1. cap. 16. post nu. 68. ubi hæc dicit opinionem benignam, & veram; Galvanet. eodem tract. lib. 3. q. 28. num. 38. Surd. dec. 41. num. 8. bene Spada conf. 305. num. 8. cum sequen. lib. 2; ubi quod contraria opinio Saliceti, & sequentium procedit de stricto iure civili; secus autem de æquitate canonica in hac materia purgationis moræ admittenda; Accedente præsertim iusta causa simplicitatis, seu ignorantie mulieris, ac etiam alia circumstantia, ut jus pupillæ interim effectum non in deterius, stante bona administratione de facto per eandem matrem gesta, ad eum adesse solum videtur quædam culpa juris in negligendis solemnitatibus, quarum ignorantia de facti in muliere admittenda est, ubi nulla concurrat culpa vera, seu malitia de facto, quæ ad huiusmodi penæ incursum attendenda videtur, ut per Spada ubi supra, & Gratian. discept. 608. num. 7.

Quovero ad alterum exclusionis caput, ob non redditas rationes, difficultas tollatur ex solo facto, in quo per causam Patronum de redditione dicebatur; Scribentes autem pro oppositoribus replicabant, quod neque per hoc satisfactum esset, ob non sequutam reliquas restitutionem, cum ista per allegata iura copulative demandata esset; Verum hoc obiectum pariter de facti dupliciter tollabatur; Primum nempe ex motivo illiquiditatis causatæ ex eorundem oppositorum culpa, & facto, dum per aliquas eorum oppositiones multo tempore protrahat, peritus aliquas paritas controversias certificare non potuit, quas tutrix credebat non debere, ideoque prætendi non poterat mora per eam inductiva, quæ incertitudo, seu illiquiditas tempore excusat ad text. in l. 2. Cod. de usuris ff. ff. de fili. dec. 205. Duran. dec. 346. in fin. & passim.

Et secundo quia hæc est una de penæ per ipsa novissimum secundo nubentibus inflicta; Illa autem penæ generaliter favore libertatis matrimonialis abrogata sunt, illi tantum firmis remanentibus, quæ concernant favorem filiorum ex primo matrimonio superstitum Sanchez. de matrimonio lib. 7. dist. ut. 87. num. 39. Capyc. Latr. dec. 22. num. 1. Rora dec. 479. n. 9. p. 1. rec. dec. 116. 181. 221. 267. & 710. par. 5. rec. & in aliis frequenter; Idque adeo verum, quod etiam si filii prioris matrimonii superstiti, seu sint Religiosi de Religione incapaci in continuo, & in particulari, adhuc dictæ penæ cessant ob non existentiam filiorum capacium, ad quorum commodum penæ prædictæ cedere possunt; Solaque difficultas est, ubi sint Religiosi de Religione incapaci, quo casu adest aliqua inter Scribentes differentia, ut liquet ex deductis in Romana successione de Comitibus de qua disc. segn.

Et in terminis individualibus istius penæ attendendi filij pupilli successorem ob transitum ad secunda

De Lupo
de
Testamentis
et
GVI
9

secunda vota, ante redditionem rationum tutela administrata, & restitutionem reliquatus plenè Capyc. Latr. dec. 131. Ideoque cum in præsentì nullus ex primò matrimonio superstes effectus, ad cuius commodum cederet successio, à qua mater excluderetur, sed id opponeretur per collaterales, quorum nihil interest, an mater vidua permanferit, vel binuba effecta sit, hinc proinde indebitè huiusmodi pœna objicatur.

Adversus istas responsiones replicabant Scribentes in contrarium circa moræ purgationem, quod cum illa proveniat ex æquitate canonica, attendenda non eratin Urbe, ubi ex Statuto servandum est jus civile, quo attento dicta æquitas intrare non debet allegando in id Peregr. consil. 20. alias Aldovin. apud eum num. 15. lib. 4. Verum levis erat replicatio, quoniam ubi jus parit effectum non est deterius, purgatio moræ re integra admittitur etiam ex intentione juris civilis, ut bene Manric. dec. 270. num. 4. ubi concordantes; Et nihilominus ubi etiam ex sola æquitate canonica resultaret, adhuc magis communis, & recepta opinio est, ut etiam in Terris Imperii, & ubi vivitur cum jure civili, ista æquitas admittenda veniat, ut relatis opinionibus hinc inde, verius firmat Fulgin. de emphyteusis. de solutione canonis q. 6. n. 7. ubi quod etiam Judei admittuntur ad moræ purgationem; Idque ultra rationes per Fulgineum & alios deductas, ex ea probari videtur, quod nullibi de jure civili huiusmodi purgatio prohibita reperitur; Ubi autem aliquid est dubium de jure civili, seu ab eo non est definitum, sed expressè definitum est à jure canonico, tunc istud tanquam in casu omisso suppletivum attendendum est, etiam, ubi cum jure civili vivatur, ut bene apud Merlin. decif. 671. alias decif. 30. num. 34. cum sequen. par. 7. rec. decif. 266. p. 6. & in aliis non curata dicta auctoritate Aldovini apud Peregr. ubi supra, cum id solum deducatur pro ratione dubitandi, & juxta illas superfluitas, & incidentes difficultates, quæ ex stylo Consulentium ad reddenda Consilia copiosa deduci solent.

Omniemque difficultatem in proposito cessare dicebam, quoniam questio de admittenda, nec ne, purgatione moræ, procedit ubi res esset in fieri; quia nempe morosus velit illam purgare, alter autem, cuius interest purgationem non sequi, illi se opponat, atque impediat; Secus autem ubi ille, cuius interest ad implementum in tempore sequutum vel non sequutum esse, post elapsum terminum scit & paritur illud sequi, cum tunc videatur ita moram remississe ad text. in l. post diem ff. de l. commissoria Manric. dicta dec. 270. n. 14. & 16. Greg. & Adden. dec. 7. & 148. Romana locutionis 10. Junij 1661. coram Verosio impress. post collectar. Bondeni dec. 88. & sequis.

Replicabant idem Scribentes quoad alium punctum cessationis pœnarum secundò nubentium favore extraneorum de auctoritate Franob. dec. 167. Guittier. d. cap. 16. n. 117. Strad. conf. 175. n. 15. Soccin. consil. 39. num. 11. & sequen. lib. 1. ad probandum, quod huiusmodi pœna etiam hodie non sit correctæ; dicendo præsertim quod in dicta decif. 479. n. 9. par. 1. rec. id ex eusu calami firmiter; se fundando in consilio Aretini 40. Communiter reprobatò ex deductis per Guittier. ubi supra num. 123. & seqq.

Verum hæc replicatio laborabat æquivoco manifesto; Allegati enim & alii, non loquuntur de ista pœna privationis successiois ob non redditas rationes tutelares, & non restitutum reliquatum

ante transitum ad secunda vota, sed loquuntur de alia pœna ob non petitum tutorem intra annum, ad quam pœnam incurrendam nil commune habent secunda nuptia, quoniam si vè illa contrahantur si vè non, ea incurritur, cum jus Digestorum, à quo id provenit, huiusmodi distinctionem non dederit, neque super secundis nuptiis aliquam fecerit provisionem, unde propterea non bene ab uno casu ad alterum inferebatur; Præsertim quia eodem Digestorum Jure attento, dari non poterat casus alterius pœna ob non redditas rationes tutelares ante transitum ad secunda vota, cum tunc, etiam mater, & avia comprehenderentur sub generali inhabilitatione mulierum ad tutelam munus publicum exercendum; ut potè habilitate solum per jus novissimum Authenticorum; Ideoque credo, quod cum iustitiæ fundamento pro matre sententiatum fuerit, nisi aliqua concordia controversiam terminavit, dum post binas disputationes, non audivi amplius de causa actum.

ROMANA SUCCESSIONIS DE COMITIBUS PRO COM: MARCO ANTONIO DE MARSCIANO.

Causa disputata coram A. C. & in Rotâ, & concordatam.

An dispositio textus l. fœminæ C. de secundis nuptiis super necessaria successione reservanda per matrem binubam filiis primi matrimonii in bonis obventis à successione filii defuncti, locum habeat solum in successione immediata, vel etiam in mediata.

Et an dicta necessaria successio procedat favore illorum filiorum, qui sint religiosi professi.

S U M M A R I U M.

1. Fœli series.
2. De primis decisionibus huius causæ in materia renunciationis.
3. De lesione in transactione.
4. Quando transactio obliget successores.
5. De punctis disputatis.
6. Ascendentes secundæ gradus succedunt cum fratribus.
7. Quod dispositio l. fœminæ, non procedat in successione mediata.
8. De distinctione inter medium directum, & transversum.
9. Impugnatur conclusio de qua num. 7. ac etiam distinctio de qua num. 8.
10. Dispositio l. fœminæ procedit etiam favore nepotum, & quando.
11. De ratione in qua fundata est l. fœminæ.
12. De eodem, & quare non subsistat distinctio de qua num. 8.